

tere, exceptis Silluko tantum, Tiphcha, & Merca Mapachato, qui unum tantum admittunt servum. Idem cognoscit, Punctatorem ex libertate modo hunc, modo illum distinctivum adhibuisse, salva tamen Accentuum harmonia: quare hanc regulam universalem Cl. Vir constituit. *Punctatorem uni distinctivo modo unum modo plures conjunctivos premisse in tabula notatos; & modo hunc modo alium distinctivum in tabula exhibitum ex libertate adhibuisse.* Ex hac regula omnis positus est regularis, & paucissima sunt, quæ excipiuntur. Hanc regulam requirebat prima hypothesis, accentus nempe esse signa decoræ lectionis, quam omnis antiquitas approbat. Si itaque in lectione distinctivos distinguis, & conjunctivos conjungis, sensuque connexo vertis, nunquam a vero sensu aberrabis. Hæc methodus brevis & facilis est, ad quam addiscendam paucæ horæ 12. aut 16. sufficiunt. Tuam vero Diacriticam, confusum esse chaos, omnes fatentur lectores, cui si quis 40. annos impendisset, verum accentuum usum, non addiscet, quia eum non tradit.

### §. XX.

Paucis videamus, quos errores & defectus Frankius ex arte legendi produxerit. Ante omnia vero advertendum, quod Frankius tabulas Cl. Viri hinc inde datas plane non intellexerit, sed ipsis alium sensum affinxerit, cum genuinum ex ipsis verbis multo felicius cognoscere potuisset. Deinde in tabulis, in quibus ob multorum accentuum concursum, quandoque vitium typophetæ irrepit, hoc Cl. Autori imputavit, quæ contradictionum multarum origo est. Tandem, quamvis Frankius sciat, Abichtum nullos servos pro Dominis agnoscere, nihilominus eum servos pro Distinctivis habuisse dicit, & ex sua hypothesis de ejus Tabulis judicavit, quo malitiosum animum toties prodidit. Sic p. 41. in arte legendi dixit Cl. Vir: Atnachum & Sillukum sibi semper præmittere Tiphcham, quod de hoc aliisque accentibus hac conditione dixit, si nempe decentes voces & syllabæ præcedant. Sed hoc non percepit Frankius. p. 63. vitio typophetæ loco — impressus est — sed vitium patet ex Cap. V. §. 3. p. 58. sq. ubi expresse dicitur, qui distinctivi sub Rhbia distinguunt, ubi Paschta non appetet, ut & ex §. 3. p. 55. Tiphchæ membrum sub-